



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Punct. Diff. 1. Proponuntur notanda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

*Negatur Confirmationi*, quod decretum & auxilium indifferens, det solum possibilitatem volendi, & quod ipsum velle, non sit ex decreto, & ex auxilio; licet illud decretum & auxilium, non sit prae-determinans, consequenter falsum est, quod priores Nos ipsos faciamus in opere salutis, posteriorem Deum.

*Negatur Sequela quinta*, quod per nostra principia destruat libertas. Concedimus, quod si determinaret Deus, non solum ad individuationem actus, sed etiam ad specificationem, auferretur libertas per multorum nostrorum sensum. Sed quid ad hoc in nostris principiis respondendum, transcribatur ex 1. parte disp. 5. num. 327. Ubi etiam ostenditur, quomodo non sit Deus causa peccati. Respondendo autem etiam in principiis aliorum. Negatur quod si Deus offerat concursum ad elicendum actum peccaminosum hunc in individuo, hoc ipso determinet ad aliquam specialem malitiam, ad quam non est ex sua malitia & defectibilitate, determinata voluntas. Conceditur quod malitia quae sumitur ex circumstantiis aggravantibus intra eandem speciem, non pertineat ad rationem specificam actus in genere moris, pertinet tamen ad rationem specificam actus, in genere eligibilis, h. e. ut amet voluntas hanc circumstantiam aggravantem & vertetur circa illam speciem, estque illa malitia eligibilis, quia attingibilis per notitiam nostram, quo autem actu debeat in individuo illa eligere, ad hoc non pertingit notitia humana, adeoque nec electio. Ceterum, electio illius circumstantiae aggravantis, & appetentia illius speciei, non spectat ad rationem specificam in genere moris, quia haec habetur ab eo, quod est principale, circumstantiae autem illae non habent rationem principalis, unde ulterius dicitur quod latitudo gradualis, sit etiam eligibilis a voluntate, vult enim voluntas magis adhuc & magis affici malo, licet quae illa sit futura in individuo latitudo, hoc a nobis nec noscibile nec eligibile sit.

*Conceditur* quidem actum odii Dei, secundum rationem specificam abstrahere a latitudine gradualis, sed negatur quod illa latitudo, non possit specificare actum feligentis voluntatis, licet non possit specificare quoad individuationem hujus latitudinis.

*Instat* Gonet. Decretum conditionatum dandi concursum voluntati creatae, si ipsa voluerit se determinare, involvit contradictionem, quia implicat contradictionem, promitti conditionaliter id, sine quo talis conditio non potest impleri. Sed voluntas creata, in quocunque rerum ordine constituatur, non potest velle, nec se determinare sine actuali Dei concursu. Ergo concursus Dei non potest promitti, vel decerni sub conditione, quod voluntas humana velit, aut se determinet.

*Respondetur.* Ut argumentum probet

sequelam, & intentum evincat, debuisset in consequenti poni. Ergo concursus Dei non potest promitti sub conditione, quod voluntas humana velit, aut se determinet sine actuali Dei concursu. Quo posito conceditur totum. Illud enim si se determinet voluntas, non potest independens a concursu divino, licet ponatur independens a prae-determinatione. Quod si non ponitur independens a concursu divino, nulla est implicancia, quae ex nostris principiis sequatur. Unde in nostris principiis, si quis diceret puero debili, & impotenti ad levandum pondus, juvabo te, si illud tollas, procul dubio irrideret illum, sed non irrideret si diceret, juvabo te in levando pondere, si velis illud levare: ita irrideret Deus, si diceret juvabo te, si sine meo concursu volueris, non irridet si dicatur, juvabo te si volueris facere, concurramque tecum ut velis, ut facias.

Quod addit in Confirmatione 2. Solutum videbis 1. part. disp. 4. a num. 121. ubi agitur de objecto scientiae conditionatae.

### DIFFICULTAS III.

*Notantur quaedam contra Responsiones ad Argumenta.*

*Solve* conatus est Gonet nostra Argumenta, quo robore, hic pensandum.

### Punctum Difficultatis 1.

*Proposuntur notanda.*

*Opposuit* sibi Gonet, aliqua nostra sententiae argumenta, eaque solve conatus est. Attendemus hic ad robur solutionum. Erimus primis ar. 4. §. 1. proponit argumentum, quod fatum invehatur per prae-determinationem, tollatur libertas, obtundatur studium virtutis, &c. & postea parag. 2. ostendit similia esse proposita a Semi-Pelagianis Augustino, sed in dictis supra contra Gonet, de scientia conditionata subintratum, ostensum est, contra nostra principia, quia eadem cum principiis Augustini, idem posse obijci. An vero consequatur fatum a quo ex prae-determinatione, quod debeat rejici, & alia inconvenientia sequantur, hic notandum venit.

*Noro* 1. Contra dicta ar. 5. duplex posse distingui fatum, unum Ethnicum aliud Christianum, ut ponit inibi Gonet. Conceditur fatum Christianum, non praedjudicare libertati, non enim aliud est, quam ipsa Dei providentia aptans libertati, contingentes causas, & tamen infallibiliter obtenturas eventum, sed negatur, si ponatur Praedeterminatio, salvandam esse libertatem, cum illa posita, impossibile sit non sequi eventum, quam vim habebat fatum Ethnicum. Conceditur fatum Christianum praedeterminare omnia juxta naturam & conditionem

R. P.  
THE ML  
ZIANOWS  
T. B. M. S.  
D. V.

nem causarum secundarum, à quibus proveniunt, sed negatur, si ponatur non prædeterminatione ratione selectivi decreti, & selecti auxilii per ordinem ad operationem liberam, sed potius ponatur prædeterminatione Thomistica, libertatem esse prædeterminandam, juxta naturam & conditionem suam. Conceditur ex mente Augustini lib. 2. contra duas epist. Pelagianorum cap. 5. quòd sub nomine gratiæ fatum non asserimus, *quam vis nullis hominum meritis, Dei gratiam dicimus antecedere*, nam etiam in nostris principiis, quæcunque merita, anteceduntur à gratia, sed negatur, quòd sub nomine gratiæ non asseratur fatum, si dicatur poni gratiam, sine qua impossibile sit operari, & quæ posita impossibile sit non operari, & tamen eam habere, non est in nostra manu; talis autem est prædeterminatione. Conceditur textui S. Thomæ quodlibeto 12. q. 3. a. 4. à Providentia Dei omnia esse prædeterminata & ordinata, sed non prædeterminatione Thomistica, quia hæc indistinguitur a fato tali, quale rejicit S. Thomas.

Conceditur id, quòd habet S. Thom. 1. par. q. 16. art. 3. quòd fatum Christianum secundum quod *subest divinæ Providentiæ, immobilitatem sortitur, sed non absolute necessitatis*, sed si ponatur prædeterminatione, quomodo illa non inferret absolutam necessitatem, siquidem infert rationem causæ consentiendi, quæ posita impossibile est non sequi consentium, imò videtur inibi docuisse S. Thom. quòd divina Providentia habeat immobilitatem solum necessitatis ex suppositione consequenti, appellat enim hanc necessitatem, *conditionatam* non absolutam, exemplificatq; illam in hac Propositione, *secundum quod, inquit, dicimus hanc conditionalem esse veram, si Deus præscivit, hoc futurum, erit*. Conceditur huic auctoritati citatæ, primò, quòd omnia sint à divina Providentiæ prædeterminata, & ordinata, sed non illà prædeterminatione Thomistica, sed prædeterminatione selectiva auxilii, & per ipsum selectum auxilium. Conceditur eidem auctoritati, hoc sensu omnia subijci fato, quia subijciuntur divinæ Providentiæ; sed nego illam esse prædeterminantem Thomisticæ. Conceditur denique eidem auctoritati, quòd fatum Christianum secundum considerationem causarum secundum mobile sit, sed secundum quòd subest divinæ Providentiæ, immobilitatem sortitur, quia antequam Deus intelligatur posuisse decretum selectivum, & obtulisse selectum auxilium, non habetur unde certo & infallibiliter sequatur pro statu absoluto consensus, sed posset sequi, posset non sequi, adeoque spectato illo in causis secundis, nondum habetur infallibilitas; sed illam infallibilitatem pro statu absoluto, adfert selectivum decretum, & selectum auxilium, quòd decretum non est indifferens ex suppositione. Immerito autem supponit inibi Gonet, quòd &

sæpius fecit, consensum nostrum supponi à gratia, cum illum semper dicamus, proficisci ex gratia.

Conceditur dictis à Gonet, in responsione ad Argumentum primum, quòd æternum divinæ Providentiæ decretum, antecedit consensum nostrum, nempe Providentiæ de dandis conditionatè auxiliis, consensum conditionatum, & providentiæ de consensu absoluto, sita in selectivo decreto, & selecto auxilio, consensum absolutum. Conceditur item quòd Providentiæ antecedit per modum primæ radiceis, totius libertatis. Sed negatur quòd præcedat prædeterminatione Thomistica. Negatur item quòd Prædeterminatione Thomistica procedat à radice libertatis formaliter, non enim illi communicatur ratio Principii liberi, licet procedat à radice libertatis materialiter, quia procedit à Deo, qui est liber, & interdum ponit causas necessarias. Negatur item, quòd, quando dicit S. Thom. fatum Christianum habere necessitatem conditionalem, secundum quòd dicimus hanc conditionalem esse veram, si Deus præscit hoc futurum, erit, loquatur de Præscientia dependente à decreto, ut hoc non nisi fiat, licet non loquatur de Præscientia independente à decreto, de dandis prærequisitis, vel de selectivo decreto, quòd utrumq; antecedit consensum, & determinat ex suppositione consequenti, in nostris Principiis, modo aliàs explicato. Et licet doceat S. Thomas, decretum selectivum divinæ Providentiæ supponere Præscientiam futurorum, ut visum est in 1. par. potuit tamen dicere à providentiæ omnia esse prædeterminata, non autem postdeterminata. Quia licet illa Providentiæ sequatur Præscientiam, quia tamen præcedit eventus absolutos, qui ipsi prædeterminantur, ideo poterat S. Thom. dicere, omnia esse à Deo prædeterminata.

Conceditur Responsio contra Objectionem secundam, quòd fatum Ethnicum proficiscatur ex causis naturalibus & necessariis, auferatque libertatem, sed tamen in principii Thomistarum, cum etiam illæ causæ necessariae proficiscantur à Deo, qui est prima radix nostræ libertatis, non deberent auferre libertatem. Quod si causæ necessariae proficiscuntur à radice libertatis materialiter sumpta, ostendi debuisset, quòd prædeterminatione non proficiscatur, eodem etiam modo à Deo.

Conceditur addito, quòd in fato Ethnico, posita fuerint causæ extrinsecæ voluntati, sed etiam divina Providentiæ, licet intimè sese medio suo concursu jungat voluntati, est tamen quid extrinsecum voluntati, quia est ipse Deus, distinctus realiter à voluntate; sed quidquid sit de hoc, ipsa intimitas conjunctionis non salvat libertatem, nam si daretur prædeterminatione coactiva, esset intimè conjuncta, & tamen destrueret libertatem. Conceditur Auctoritati

tati S. Thomæ, quòd à solo Deo, possit inclinari voluntas, sed quomodo? Selecto auxilio, injectione cognitionis, quam appellat Arist. à bona fortuna. Et quia (ut inquit i. parte q. 105. art. 4. ad 1.) dat ei propriam ejus inclinationem, si propriam, non prædeterminativam.

Ponit insuper aliquas inibi phrasas Gonet, sed illæ argumentum non continent. Citat etiam aliquem Studentem, qui melius quid sit sensus compositus quid divisus intellexit præ Petro à S. Joseph, & omnibus Societatis Doctoribus, sed istum Studentem, ad manum non habui.

NOTO 2. Circa dicta §. 2. quòd etiam per nos liberum arbitrium non habeat per se dominium super divinum decretum, & connexionem indissolubilem, quæ intercedit inter decretum & actum voluntatis creatæ, sed quæ re restat, quomodo habet dominium in connexionem inter decretum prædeterminativum, & voluntatem creatam, prout illa se tenet ex parte consensus liberi, dependentis à voluntate creata tanquam à secundo libero, si posito illo decreto, impossibile sit non sequi eventum, cum impossibile sit poni prædeterminationem, & non prædeterminare actum.

*Conceditur Responsioni secunde.* De ratione primi liberi esse, habere absolutè in sua potestate, omnia prærequisita ad agendum, in ordine scilicet ad ponendum prærequisita, unde per nos non est in potestate creaturæ, oblatio auxilii, est tamen de ratione etiam secundi liberi, positus omnibus prærequisitis, posse agere, & non agere, hoc enim deponit definitio libertatis, omni libero competens, adeoque competens & secundo libero; Et tamen posita prædeterminatione ad agendum, impossibile est non agere, quia impossibile est prædeterminationem non prædeterminare ad agendum. Cum hoc tamen fiat, ut concedamus Dominium hoc voluntatis in suas actiones esse secundarium, & dependens, cum supponat decretum divinum, de servanda indemni libertate, de conferendis auxiliis, non prædeterminantibus, per quod comparatur, ad divinum Dominium, sicut feudatarius ad Dominum absolutum. Conceditur auctoritati S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. quòd nullum sit Dominium creaturæ, ad hoc quòd deliberet, vel non deliberet, & quòd ut deliberet, oportet quòd finaliter deveniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quòd est supra mentem humanam, scilicet Deo, ut etiam Philosophus probat in capitulo de bona fortuna, admittimus enim cogitationes, & gratias, quæ sunt in nobis sine nobis, quas gratias vocant Theologi passim, prævenientes, sed quia eas habere vel non habere, non est in nostra potestate, ideò de illis dicitur, quòd sunt in nobis, sine nobis. Et si Thomistæ nomine prædeterminationis, tales solum gratias intelligerent, in nullo à nobis differerent, sed simul fateri deberent, illam non salvare libertatem: cogitationes enim injectæ

à bona fortuna, non sunt nobis liberæ, quòd ipsum voluit S. Thom. ibid. q. 9. art. 4. ad 1. Stabit ergo Argumentum quòd urget contra Prædeterminationem, quòd scilicet illa posita, auferatur libertas, cum dicat Gonet prædeterminationem suam ita se habere, ut cogitationes injectæ à bona fortuna. Integra tamen manet questio; an posita cogitatione illa injecta à bona fortuna per Aristotelem, post deliberationem determinetur voluntas, ut vi illius determinationis, hanc non nisi partem sequatur.

*Conceditur dictis à Gonet ex Prospero,* quòd quantumvis impossibile sit bene operari nisi ex Dei adjutorio, tamen non debeat tepescere studium virtutis, eò, quòd qui bona egerint (ut inquit Prosperus) non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur, sed quomodo non tepesceret studium virtutis, si ad agendum requiritur prædeterminatio, quam ponere non est in nostra potestate, nec eam semper ponit Deus, & tamen illa non posita, ut dictum supra contra Gonet, impossibile est sequi eventum.

*Conceditur item auctoritati S. Thom. 1. part. q. 23. art. 8.* quòd ita prædestinatur salus alicui, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propria, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur, ubi illud Ly sine quibus aliquis salutem non consequitur, ostendit formati prædestinationem, non sine prævisa hac conditionali, consequeretur si; ac per hoc acuentur & prædestinati ad promovendum se in bono, & reprobi ad recedendum à malo. Sed si prædestinamur independenter à præviso illo consequeretur salutem si, quid excipit prædestinatos ad bonum, quid retardabit præscitos à malo?

*Conceditur,* quòd si præcisè ideò res esset futura liberè quia præscitur à Deo, non autem ideò præsciretur, quia est futura liberè, contra hanc præscientiam, æquè nostra procederet argumenta, atque procedunt contra Prædeterminationem, sed nos probamus, non ideò præcisè res futuras liberè, quia præsciuntur à Deo. Dicta ab August. lib. de Bono Persev. c. 15. procedunt contra Semi-Pelagianos, qui admittentes præscientiam infallibilem Dei, nolbant insuper admittere decretum prædeterminativum in Deo, tanquam donum speciale distinctum à reliquis, quòd tamen nos dari tuemur. Diximus ideò præcisè rem futuram, quia præscitur à Deo, nam concedo à posteriori, rem ideò futuram quia præscitur à Deo. Non loquimur autem hic de scientia quæ est causa rerum. Percipit auctoritas non procedit de prædeterminatione Thomistica, sed de prædestinatione, quæ formetur, post præconsultam quidem nostram libertatem, per scientiam conditionatam independenter tamen è prævisis absolutè meritis. Mul-

R. P.  
THEML  
ZIANOWS  
Tom. 1. e  
D. V.

Mulci autem ex nostris censent formari decre-  
tum prædestinativum sine prævisis absolutè  
meritis, putantque etiam Nostrates cum Pere-  
rio, hanc fuisse sententiam S. Augustini, nec su-  
scipimus universaliter tuendam hanc senten-  
tiam, quòd Deus non prædestinet ante prævisa  
absolutè merita. An autem sententia præde-  
terminantium faveat Calvinismo, discurrere  
vetitum.

## Punctum Difficultatis 2.

*Continuatur Notando.*

**N**OTO 3. contra dicta, in articulo 6. Justè  
Deo judici objurganti de lapsu, homines  
possent respondere, non dedisti nobis gratiam  
prædeterminantem, eam ponere, habere, non  
erat in nostra potestate, & tamen sine ea, impos-  
sibile fuit nos bene operari actu.

**R**ETORQUET Gonet, quòd etiam responde-  
re in nostris principiis possent damnati, quare  
non dedisti nobis gratiam congruam, sed hoc &  
suprà contra Gonet, & i. par. Disp. 5. n. 445. re-  
futatum est, quantum ad præsens. Conceditur  
gratiam congruam pertinere ad statum ante-  
cedentem potentia liberæ, nam etiam & nos,  
& salvamus, & exigimus efficaciam gratia in a-  
ctu primo, sed negatur (quod tamen pro con-  
cessio supponit Gonet) quòd hæc gratia con-  
grua, sit necessariò requisita, in quocunque ho-  
mine vel Angelo, ad bene actu operandum, a-  
liis qui careret gratiâ congruâ, & haberet so-  
lam sufficientem, careret aliquo necessario re-  
quisito ad bene operandum actu, quod nostri  
non admittunt. Unde ulterius negatur, sub-  
lata gratia congruâ, implicare contradic-  
tionem, quòd defacto operetur homo, si enim in  
nostris principiis positâ gratiâ solum sufficienti  
potest defacto operari homo, quomodo verum  
erit, quòd non positâ gratiâ efficaci, implicet in  
nostris principiis contradictionem, quòd defac-  
to operetur homo.

**N**egatur, quòd Monachi Adrumetini oppo-  
suerint Augustino, quòd si gratia efficax esset  
necessaria ad agendum, tolleretur correctio-  
nis necessitas, & peccatorum inexcusabilitas.  
Sed solum hoc urgebant: si viribus naturæ non  
possum ego me corrigere, & si sine hac gratia,  
impossibile est me corrigi, eam autem habere  
non est in nostra potestate, cur corrigor, cur da-  
mnor? Loquebantur ergo de gratia, non effi-  
caci, sed gratiâ simpliciter necessariâ ad ope-  
randum, sive illa sit sufficiens, sive efficax.  
Hanc mentem illorum fuisse ostendunt verba  
Augustini, de Corrept. & Gratia cap. 4. *Re-  
corripere, si eam, scilicet gratiam, meâ culpâ non  
haberem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sume-  
re ipse, nec facerem, vel si dante illo, accipere noluis-  
sem. Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præpa-  
retur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta  
nolle, & non potius ipsum rogas, ut in me operetur*

*& velle*, qui Textus, nullam facit mentionem,  
etiam æquivalentibus Terminis, gratia effica-  
cis, per nos enim præparatur (quantum ad præ-  
sens) voluntas, non tantum per gratiam effica-  
cem, sed & per sufficientem. Unde iidem A-  
drumetini volebant, ut libertas, præcederet  
gratiam, h. e. volitio ex viribus naturæ profe-  
cta, non autem ut gratia præcederet liberta-  
tem, quod damnat in illis Aug. cap. 8. de cor-  
rept. & gratia. *Voluntas non libertate consequitur  
gratiam, sed gratia libertatem.* Si autem argu-  
mentum Adrumetinorum impugnabat neces-  
sitate gratia ut sic, non est argumentum idem  
cum nostro quod opponimus Thomistis, nem-  
pe non dari locum correctioni, positâ præde-  
terminatione, siquidem impossibile est sine præ-  
determinatione, siquidem impossibile est sine  
prædeterminatione bene operari, cum tamen  
eam habere, non sit in nostra potestate.

**C**onceditur *directe Responsioni*, quòd sufficien-  
ter possit respondere Christus reprobis in die  
judicii, non dedi vobis gratiam efficacem, dedi  
sufficientem, cur ei non estis cooperati: sed in  
principiis Thomistarum, possent reprobi hanc  
Christi responsionem impugnare. Nulla est  
gratia quæ sit sufficiens ad operandum, si impos-  
sibile sit cum eaque eventum, talem tu nobis  
dedisti sufficientem; quia non dedisti præde-  
terminantem, sine qua, impossibile est sequi e-  
ventum, adeoq; hæc gratia, verbaliter est suffi-  
ciens, reipsa nulla. *Conceditur*, ut aliquis possit  
justè corripì & increpari, quia non fecit, æque  
bene ac alter, sufficere, si uterq; æqualiter pos-  
sit, & tamen æqualia non præster; sed querere  
restat, qui non prædeterminatus, cum præde-  
terminato æqualiter possit, si sine prædetermi-  
natione impossibile sit actu operari, qui item au-  
xilium efficax, licet non det posse agere, sum-  
ptum pro libero arbitrio & voluntate, non det  
posse agere gratiosum, si sine prædeterminatio-  
ne impossibile sit bene operari actu. Querere  
item restat, qui det prædeterminatio tantum  
actualitatem, & applicationem potentia, non  
det autem virtutem, aut complementum po-  
tentia, si dat rationem virium, rationem activi,  
rationem causæ, ipsi voluntari unâ cooperaturæ,  
cumq; illa actualitas, non sit suppositio exer-  
citi, elevatæ, sed actualitas ad exercitium, cum  
talem actualitatem non habeant imprædetermi-  
nati, cur justè queri non possint, non dedisti  
nobis actualitatem & applicationem. iine qua  
impossibile est bene operari actu, & tamen eam  
habere non est in nostra potestate.

**C**onceditur *Responsioni primæ ad Confirmatio-  
nem*, quòd reprobi possent in die judicii dicere  
Deo, quare me constituisti in circumstantiis, in  
quibus prævidebas me non operaturum, sed re-  
tudisset Christus, constitui, sed dedi gratiam,  
vi cujus, etiam in illis circumstantiis potuisset  
operari actu, neque enim mea gratia efficax, est  
ita